



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri
Viginti**

Della Porta, Giambattista

Frankfurt, 1607

Quomodo descriptas literas à papyro abstergere possimus. Cap. X.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

aliud confimile genus habebis. Si sic mentiri fatius fuerit. Chryfocolla, ammoniacus fal & alumen æquali pondere certent inter fe, tufa omnia fictili condantur, & acre ex calce parato lixiuium, & faucibus exceptura vasis lineo panno obteto, colato, fic igitur parum ebulliat, atramento immisce, & vbi incolumes aliquantum durabunt, iam flaccescere fiunt caducæ. Ad vsum recondito. Contra vero si vis

vt inuisibiles literæ post aliquod tempus visibiles fiant,

Et ex se ipsis se prodeant, aliqua exempla dabimus, vt ex te aliqua possis excogitare. Si succo citriorum, vel aranciorum describeris supra æs cyprium, vel commune, ac circiter viginti diebus reliqueris. supra locum virides literæ videbuntur. Idemq; multis alijs modis fieri poterit, scilicet sale ammoniaco, si aqua dissolueris, & super æs scriberis, citius locus ærugine vestietur.

Quomodo descriptas literas à papyro abstergere possimus. CAP. X.

SI interea euenerit, vt è chartis literas abstergere velimus, vel quæ iam deletæ iterum appareant, hoc vtemur artificio. Scilicet si velimus

è papyro literas abstergere,

Videlicet è pergamento. Accipe aquam fortem, id est, separationis auri ab argento, & aliquantulum penicillo supra literas absterge, & illico literas abstergit, quæ ex vitriolo & gallis conscriptæ sunt. Si vteris aqua forti, in qua sal ammoniacus liquatus fuerit, citius opus expediet. Sed literas prælo impressas ægrius delebis, quum nec chalcanto, nec gallis cõstet. Vel è sale alchali & sulphure paruis conglobatis orbiculis perfrica, sic erodet, vt ne vestigium remaneat. Sed si aliquid in absterfo loco scribere concupieris, locum prius aqua madefacito, in qua alumen sit dissolutum, sic atramentum non diffunditur. Si

Euanditas literas renouare

optabis, vel si euanescentes legere quæsieris, gallas vi-

no ebullias, ac spongia super eas perline: nam cōfestim literæ videbuntur, vbi humorem senserint, colorabuntur, & pristinae integritati restituentur.

Quomodo sigillum, & scriptura mentiantur.

C A P. XI.

IN vrbium obsidionibus, & exercitibus, & Magnatum Inegotijs maximo vsui esse possint, literas Ducis manu obsignatas, ac sigillo proprio munitas referare, scire quid contineatur, ac resignare, alias contrarij tenoris scribere, & similia, docebimus quomodo possimus

Sigillum mentiri.

Liquescat sulphur, & in liquidum proijce cerussam pulueratam, misturam hanc supra sigillum impone, sed circummunias vel papyro, vel cera, aut creta, & cōprime, frige factū amoue, & in eo typum sigilli habebis. Idem etiam præstabimus alio modo. Repleatur olla fictilis aceto, intra vitriolum conijcito, & plusculum æruginis, ac in bullas efferuescere finito, intus laminas ferreas immerge, paululo temporis elapso, tolle, & ab superficie cultro abra de situm quendam, quem contrahit, quasi lutulentum, & in subiectam patinam serua, summerge iterum in ollam, alteram cape, eodemq; modo abra de, & sic quousque huius crassamenti aliquam partem habueris: in hoc argentū viuum proijce, & malagma confice, quod dum molle, & tenerum est, supra sigillum comprime, & sub dio finito, nam adeo durefcit, vt facillime literas sigillo imprimere poteris, vt fere metallum euadat. Possumus & alio modo idem efficere. Recipe chalybis scobem, & fictili vase igni duro appone, adde res, quæ fusionem accelerant, & liquefactum proijce in cauum locum, ænea pila terito, quia facile fiet, & sic ter, quater facito, mox puluerato, & argentum viuum cum eo remisceto, & in olla vitro sublita bulliat per diei quadrantem, vsq; donec sit optime remistum, tandem imprime in eo sigillum, & refrigerati finito, & durissimum euadet. Possibile erit

Magnum sigillum coarctare,

Si euenit aliquando, vt minori sigillo indigeamus,
hoc